L. S.

Rarissimum quodque vocabulum maxime fuisse scribarum malitiae obnoxium prope quaevis charta docet. Troilus a Lycophrone breve tempus Achillem amore saucium velut vinculis obstrictum tenuisse dicitur

τὸν τυπέντα δ' ἐν βροχοῖς 310
μάρψας ἀφίκτοις βαιὸν ἀστεργῆ χρόνον.

Implacabile qui id tempus dici potuerit, quod fugax et inconstans dici exspectaveris, sollers aliquis homo et qui Lycophronis sibi artificia pernosse videretur, facile demonstraret, nisi fraudem subesse moneret scholiasta *ἀστεργῆ τὸν ἄστατον* explicans. Nec recentior paraphrasta, si *ἀστεργῆ* aut in exemplo suo invenisset aut quod ad id responderet, in antiquiore paraphrasi repperisset, *ὀλίγον καὶ ἄστατον χρόνον* vertisset. Nunc enim quae praebet P *τὸν μικρὸν ἤτοι ὀλίγον ἠγαπωμένον χρόνον*, quo spectent in his *τὸν μικρὸν ἤτοι ὀλίγον χρόνον*, ex ipso intellegitur: *ἠγαπωμένον* autem quo pertinuerit aliquando, e verbis scholiastae patet: *βαιὸν δὲ χρόνον καὶ ἀστεργῆ· ἐπειδὴ ὀλίγον χρόνον ἦν ἐρῶν αὐτοῦ ὁ Ἀχιλλεύς.* Nemo igitur hunc paraphrastam advocabit, ut exagitatori illi rarorum vocabulorum auctoritatem adstruat, qui ut 1048 *Πράκτιν παρ' αὐτὴν* 1048 *νῆσόν τε Κερνεᾶτιν* 1441 *Καναστραῖος* 1443 *Ἀργείων* alia multa Lycrophoni adlevit, sic hoc loco, cum nesciret quid esset *ἀσχαδῆ χρόνον*, fortiter quod ipse intellegeret substituit. *Ἀσχαδὴς* enim sive est *ἀκατάστατον*, ut interpretatur Et. M. 161, 15 *ἀσχαδὲς· τὸ ἀκατάστατον. Αἰσχύλος*, sive *ἀκατάσχετον* quod et Hesychio *ἀσχαδὲς· ἀμετάσχετον* et Etymologo reddendum esse coniecit Nauck Fr. Tragg. Gr. 410, neque illo loco neque eo scriptore videtur indignum esse, qui permulta vocabula ab Aeschylo mutuatus est.

Est hoc ex iis vocabulis, quorum notitia doctorum grammaticorum studiis debetur: in gravius crimen incurrit is, qui apud Herodotum VII 33, cum non sine

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

causa haereret, quid esset *ἀκτὴ παχέα*,[1]) temere *τραχέα* invexit. Herodotus quid scripserit, is protinus intelleget, qui meminerit, quam parum in minuscula scriptura noni saeculi *λ* et *π* differant. cf. Bast II. 6. Praesto igitur hoc scribenti erat Homericum illud vocabulum, cuius iam apud antiquos grammaticos et vis et forma controversa erat *κ* 509 *ἀκτὴ ΤΕΛΑΧΕΙΑ καὶ ἄλσεα Περσεφονείης*. En locuples, opinor, testis trisyllabae formae: doleas minus constare, qua vi intimus ille epicae poesis cognitor posuerit, nisi id esse aliquid statuas, quod vestita illa ora et silvestris etiam nunc dicitur, cf. Lob. Parall. 177, 10 et Stein. a. l.

Sed raris vocibus et quae nullum conatum interpretum non eluderent omnibus temporibus id contigit, ut ludibrio essent coniectantium: nostra demum aetate usu venit, ut etiam ea vocabula in suspicionem vocarentur, quae frequentia sua ab omni libidine defendi viderentur. *ἄκρεα* quid sit quorumque, dubitari non posse videtur. Cum duo sint verba, quibus caro a Graecis notatur, ea qua vescimur homines caro *κρέας* nuncupatur ad *κείρειν* fortasse referendum ut discerptum, *διακεκομμένον*, *διαδεδασμένον*: incertae originis *σάρκα* medicus, cum enumeret tibi ex quibus rebus animalia constent, inter *ὄστεα* et *φλέβας* ponet. *κρέας* praeterea est terrestrium[2]) bestiarum, *σάρξ* communiter de omnibus animalibus ponitur.[3]) Hinc *κρέα ἑφθά* et *ὀπτά* et *βόεια*[4]) et late patens illa compositorum familia, quae coquinam maximam partem redoleant. Hinc *κρεάγρα* cur coquorum, cur *σαρκολάβος* medicorum sit instrumentum, per se patet.

---

[1]) *τραχέα* Vind. *τε τραχέα* Sancr. *τρηχέα* Bek. *παχέα* Laur. AC. ceterum cum Florentiae nuper codicem Laur. A inspicerem, adverterunt me notae quaedam interlineares quae Tzetzianam doctrinam resipiebant. Nec suspicio me fefellit: Tzetzae aliquando in manu fuisse docet fol. 23a extr. (Her. I 88), ubi ad *κατεῖσε* adscriptum est *Τζέτζης τίθε*. Idem fol. 26a duodecim versus politicos adscripsit, quorum hoc est initium *Τζέτζης κρατεῖ σε· πρόσχες οἷς τὰ νῦν γράφει*. Sed si quid ex notulis adpictis colligere licet, ultra primum librum legendo non est progressus. Neque in commentario Alexandrae p. 1036 Muell. ex codice A, sed ex aliquo libro alterius classis hausit quae adscripsit *ἕτεροι δὲ γεφυροῦν ἐπέμφθησαν τὸν Ἑλλήσποντον περὶ Τραχείαν Ἀκτὴν λεγομένην*.

[2]) *ἰχθύες δ' ἀμείνους κρεῶν* Hipp. II 717 Erm. *θαλασσίων μὲν τεμάχεα ἑφθά, κρέα δὲ οἰδὸς — ἢ ἐρίφου ἢ σκύλακος* II 300 *καὶ τοῖσι ἰχθύσι ἑφθοῖσι — καὶ κρέασι ἑφθοῖσι ἑείοισι* III 481.

[3]) Vicina posita vocabula maxime declarant munus unicuique impositum: *διδόναι κρεῶν τὰ μέλεα ὅσα σαρκώδεα* Hipp. II 300 m.

[4]) Hinc, ne accideret, quod rustico apud nos hirudines adhibere iusso accidit, prudenter medicus ille, qui librum de morbis mulierum conscripsit, praecepit *βοὸς σαρκὶ στέαρ ἐπαλείφειν καὶ τὴν σάρκα προστιθέναι* II 643 m. et simpliciter *σάρκα βοὸς ἐντιθέναι* 762 m.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Qui carne vescebantur, in Herodoti codicibus *κρεοφάγοι* IV 186 dicuntur: *σαρκοφάγος* is lapis erat, quo conditum corpus brevi tempore ita exedebatur, ut ossium textura restaret.[1]) Nec quod aliquis locus scriptorum deprehenditur, quo altera vox ita posita est, ut alteram malis, eo evertitur id, quod multitudine testium comprobatur: est omnium gentium, est poetarum maxime, est senescentis denique linguae vicina inter se vocabula permutare. Stetit intra consuetudinem dicendi Ulixes, cum compellaret Polyphemum *Κύκλωψ, τῇ, πίε οἶνον, ἐπεὶ φάγες ἀνδρομέα κρέα*, nec descivit ab usu recepto Aeschylus nec cum rem foedam et immanem significaret in Ag. 1068 *ὀπτάς τε σάρκας πρὸς πατρὸς βεβρωμένας* nec cum aperte diceret 1196 *τὴν μὲν Θυέστε δαῖτα παιδείων κρεῶν*. Sed fines conturbavit Atheniensium plebs *κρέας* per comprehensionem corpus vocans[2]) et seriorum inde ab Aristotele turba in contrarium aberrans ita, ut *σάρξ* in notionem illius vocis immitteretur. Atheniensium autem illum abusum an abusionem fortasse imitatus est Iatrosophista ille, qui librum *περὶ ἀρχῶν κ. τ. λ.* conscripsit *καὶ ὑπὸ τοῦ θερμοῦ θερμαινόμενον κρέας ἐγένετο.*[3]) Hipp. III 506 m. Erm. *οὔτε κρέας οὔτε ὀστέον* 513 in. *τὸ δὲ ἄλλο τὸ περὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς λευκὸν κρέας ἐστίν.* ib. utut est, *κρέας* cum his locis dixit, ab artificio eum defecisse certissimum est.

Sed ut ad *ἄκρεα* redeamus, *ἄκρεα* cum ea sint, quae carne careant, quae edi non possint,[4]) manifestum est ex medicorum fabrica non prodiisse, sed ut prope omnis interioris corporis humani cognitio apud Graecos a re sacra facienda profecta est, sic *ἄκρεα* sacrificantium videtur fuisse vocabulum, quo reiculae partes victimae et quae ad dapem nihil conferrent notarentur. Ars medica cum litteris tradi coepta est, *ἄκρεα* sui iuris erat vocabulum cuiusvis animantis extremas partes significans, nihil amplius: cum *κρέας* cohaerere aut non perspiciebatur aut non curabatur. Nec tamen quod apud

---

[1]) *σαρκοφάγους πέτρας* si Lycophro in v. 743 ea saxa dixisset, quibus allisus Ulixes misere manus contudit, in hoc artificio acquiescere potuit: cum doctius *κρεαγράτους* dicere maluit, in transversum egit scribas, qui *κρεαγρεύτους* et *κρεαγρεύστους* et *κρεαγράπτους* substituerunt. *γράειν* docta Alexandrinorum vox vel e Callimachi fr. 200 Schn. *Κοῖτον ὃς αἰζηῶν ἔγραε κηδεμόνας* nota est: *γράειν* autem pro *δέρειν* posuit auctore fortasse Stesichoro usus, apud quem *βιβρώσκειν* eandem notionem induerat fr. 4 *χειροβρῶτι δεσμῷ*.

[2]) Ne Sophocles quidem hoc usu abstinuit fr. 650 a *τοιοῦτος ὢν ἄρξειε τοῦδε τοῦ κρέως*.

[3]) Cf. Gal. XIX 367 *σάρξ ἐστιν ἐξ αἵματος πεπηγυῖα, ὑγρὰ καὶ θερμή, σκέπην τε καὶ μαλακότητα παρεχομένη τῷ σώματι.*

[4]) Deest Romanis quod respondeat nomen: *scarno* feliciores componendis nominibus finxerunt Romanorum nepotes.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

grammaticos nihil de hac voce observatum videmus, inde colligere licet latuisse eos, quod commercium cum κρέας esset voci ἄκρεα: sunt omnia in Lycophronis Al. 154.

Οὗ πάππον —

ἄσαρκα μιστύλασα τύμβευσεν φάρῳ

clara et perspicua, modo teneas, quod fugit interpretes, ἄσαρκα Lycophronem pro ἄκρεα velut glossographi munere fungentem novasse.[1])

Hoc autem vocabulum, tam perspicuum, tam aptum, plus quam quadraginta locis apud antiquos medicos obvium, ita ex eorum libris sustulit Ermerins, ut vix in adnotationibus vestigium eius extet, una suspicione eaque futili motus ἄκρεα pravo ionismi studio scribarum sic deberi ut αὐτέους, αὐτέῳ, ῥινέων, τουτέοισι, τουτέου sim.[2]) Immo tam continens est illa vox, ut raro in locum vocis ἄκρα invaserit velut III 82 in. τὰ δὲ ἄκρεα τῆς κάτω γνάθου τὸ μὲν διὰ τὸ μῆκος οὐκ εὐπαρέκδυτον· ἅμα τε ἀπ' ἀμφοτέρων τῶν ἀκρέων τούτων νευρώδεες τένοντες πεφύκασι, ubi illic ex Marciano ἄκρα, hic de coniectura ἄκρων Ermerins reposuit[3]): sed quantum est harum emendationum pretium, quae totius vocis impendio constent!

Esse aliquid ἄκρεα constat: nunc in quantum eius usus pateat, videamus. Sic enim habent lexica nostra Hippocrati — Hippocratis autem dicunt omnia quae sub nomine eius feruntur — aliisque medicis proprium fuisse hoc vocabulum. Abierit illud, quamquam plus vero dicentem non verum dicere in confesso est. Sed segreganda erat seriorum turba ut quae illud ex Hippocratis libris acceptum magistri more usurparit. Etenim est docta, est paucorum hominum haec vox, quae illorum aetate iamdudum interciderit. Viget in Epidemiorum libris, quorum in primo terdecies, in tertio quindecies

[1]) Cf. Mus. R. XXXIV 268.

[2]) praef. I p. XI et I p. 13 not. 43 cf. Thes. I 1274b 1289c.

[3]) cf. Hipp. II 502 in. διοζοῦται αὖθις τὰ ἄκρα τῶν ὀστέων, ὥσπερ δενδρέου τὰ ἀκρότατα ὕστατα ὀζοῦται ib. 505 m. τὰ ἄκρα τοῦ σώματος. Galenum autem non ἄκρεα et ἀκρέων, quae edd. praebent, sed ἄκρα ἄκρων illo loco invenisse ipsius verba docent: ἃς ἔμπροσθεν ὠνόμασε κεφαλὰς τῆς κάτω γένυος, ἄκρεα (immo ἄκρα) νῦν προσηγόρευσεν ἐπ' ἀμφοτέρων λέγων νευρώδεις τένοντας πεφυκέναι. verbo admonnisset legentem ἄκρεα induisse hic significationem diversissimam ab ea quam ipse definiverat χεῖρες καὶ πόδες. Contrarii vitii in seriorum medicorum libris reperiri posse exempla verisimile est: velut apud Plut. de tuend. san. praec. 123 A καὶ τοἰναντίον ἡ τῶν ἄκρων περίψυξις εἰς τὰ μέσα συνελαύνουσα τὸ θερμὸν ὥσπερ τινὰ συνήθειαν καὶ μελέτην ἐμποιεῖ πυρετοῦ rescribendum est ἀκρέων. Apud Hippocratem non deprehendi. Saepissime autem scribae cum δίκραια in media syllaba litteris αι scribi scirent, ἄκρεα in eam similitudinem traxerunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

deprehenditur. En exempla: *ἄκρεα περίψυχρα, πόδες ἄκροι, μάλιστα δὲ τὰ περὶ χεῖρας* I 176 m. *ἄκρεα παντόθεν ψυχρὰ καὶ οὐκέτι ἀναθερμαίνομενα* 185 m. *ἄκρεα ψυχρά, πελιδνά*, et *ἄκρεα πάλιν ψυχρά* 186 m. *ἄκρεα ψυχρά* 188 m. *ἄκρεα ψυχρά, ὑποπέλια* 192 m. *ἄκρεα ψυχρά* 195 m. *ἄκρεα πελιδνά* 185 m. *ἄκρεα οὐκέτι ἀναθερμαινόμενα* 176 m. *ἄκρεα οὐκέτι ἀνεθερμαίνετο* 186 bis *ψύξις ἀκρέων* 162 in. 167 m. Neque aliter in tertio libro *ἄκρεα ψυχρά* 204 extr. 207 extr. 210 in. 211 ext. 212 m. 227 extr. 235 ter. *ἄκρεα ψυχρά, πελιδνά* 208 extr. *ἄκρεα ψυχρά, ὑποπέλιδνα* 211 in. *ἄκρεα παντόθεν ὑπόψυχρα* 234 m. *ἄκρεα πελιδνὰ καὶ ψυχρά* 209 m. *ψύξις ἀκρέων, τὰ περὶ χεῖρας καὶ κεφαλὴν μᾶλλον* 225 extr. *ψυχρὰ ἄκρεα* 236 in. Semel 216 m. mirum in modum a se ipse defecit *ἄκρα τε τούτοισι ἀεὶ μὲν ψυχρότερα ποδῶν καὶ χειρῶν*. Proxima ab his sunt septima Epidemia *ἄκρεα τὰ πλεῖστα ψυχρά* I 668 m. *ἄκρεα καὶ μέτωπον ἐπιεικῶς διετέλει ψυχρά* ib. extr. *τὰ ἄκρεα κατεψύχθη* 704 extr.[1]) Idem usus in libello de ratione victus, in quo his locis recurrit *τὰ ἄκρεα διαψύχονται* I 305 m. *μὴ διαψύχεσθαι τὰ ἄκρεα* 325 m. Sed eo dissidet ab illis, quod non constat sibi in usu vocis: *τὰ ἀκρωτήρια κατεψυγμένα* 312 m. Neque aliter in iis, quae ut spuria additamenta suo Marte seiunxit Ermerins *τὰ ἄκρεα ψύχονται πάντα* 338 m. *κατάψυξις ἀκρωτηρίων*. In sextis Epidemiis invenitur *ἄκρεα περιψύχεται* I 606 m. repetitur *ἄκρεα ψύχεται* 613 m. In desperatis locis libelli de Liq. us. ter deprehenditur *διὰ τοῖτ' ἄρα καὶ κατὰ ἀκρέων ἐν λιποθυμίαις τὸ ψυχρὸν καταχεόμενον ὠφελέει* II 113 in., ubi recte *ἄκρων* scripsisse videtur Ermerins, *πάσχει δὲ καὶ ἄκρεα τοιοῦτο, ὥστε ταχέως ἐνακούειν πολλῶν* 112 extr. *οὕτως πάντα φαίνεται, ὅκου τε ψύχεται ἄκρεα ὅκου τε θερμαίνεται* 114 in. *καὶ ἄκρεα καὶ κύστις καὶ γονὴ καὶ ἄλλος γόνος ὁ γυμνός* 114 extr. Denique singularis est vox in primo libro praedictorum *ἄκρεα ἐπ' ἀμφότερα* (int. *τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρόν*) *μεταπίπτοντα κακόν*, quod iteratur in Praenott. Co. 42 in., in quarto Epidemiorum *ἄκρεα ψυχρά* I 552 m., in libello de Humor. *δέρματος, ἀκρέων ὑποχονδρίων, ἄρθρων, ὄμματος, στόματος, ἵπνων*, 621 extr., in secundo libro de morb. mul. *καὶ τὰ ἄκρεα περιψύχονται* II 761 m., sed idem alio loco data opera circumduxit *τὰ σκέλεα ψυχρὰ εἰρήσεις καὶ τὰ γούνατα καὶ τὰς χεῖρας* 742 in.

Hi igitur huius voces fines sunt, hae formae. Quod raro absolute ponitur, quod certis quibusdam nominibus quasi mancipatum est, casu videtur factum esse, non item, quod tertii casus figura requiritur. Invenitur in iis libris, qui Hippocratis sunt

[1]) Sed I 682 in. ex codice C Littré *κωλῆνας ὑείων κρεῶν ἑφθῶν* recepit pro vulg. lect. *κωλῆνας ὑὸς ἀκρέων ἑφθῶν*.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aut Coorum aut ab iis conscripti sunt, qui ab illis pendent. Sed in Cnidiorum libris praeter unum illum locum, quem ex libro de morbis mulierum supra exscripsimus, nusquam invenitur isque ita innatat interpolatis, ut ipse suspitione non immunis sit. Aut ignorari ab his aut sperni certissimum est. Qui primum de morbis librum conscripsit, cur dixerit *ἐν τοῖσι ἀκρωτηρίοισι τοῦ σώματος* 176 m. *πρῶτα μὲν τὰ ἐν τοῖσι ἀκρωτηρίοισι μινύθει τε καὶ ψύχεται* 179 m., in aperto est: minus, si novit, cur dixerit *ἀποξηραίνεται δὲ πρῶτον μὲν αὐτῶν τὰ ἀκρωτήρια* 179 in. In Coicis praenotionibus ex Praedictorum libro primo *ἄκρεα* semel translatum erat, sed sine ulla causa abstinuit voce 99 extr. *κεφαλὴν καὶ χεῖρας καὶ πόδας κατεψύχθαι* nec quicquam impediebat, quin poneret 100 in. *βαρύτης ὅλον τοῦ σώματος καὶ χειρῶν καὶ ποδῶν πονηρόν.* Idem cadit in Prognosticon, quod ex praenotionibus Coicis pendet, *κεφαλὴ καὶ χεῖρες καὶ πόδες ψυχρὰ ἐόντα* 135 extr. *βαρὺς καὶ τὸ ἄλλο σῶμα καὶ χεῖρας καὶ πόδας* 136 in. *τὸ δὲ μέτωπον καὶ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας ψυχρούς* 142 m. Non sprevisse eum, qui sexta Epidemia condidit, supra vidimus: nunc, cum videmus quanta loquacitate in eodem libro circumducatur *οἷσι δ σπλὴν ἐστι κατάρροπος, πόδες καὶ γούνατα καὶ χεῖρες θερμά*, Batavi sagacitatem miramur inter spuria haec ut genuina servantis. *Ἀκρωτήρια* eum, qui de morbis mulierum librum composuit, pro *ἄκρεα* dixisse supra docuimus: sed idem et alio modo declinavit *τά τε ἄρθρα τῶν χειρῶν καὶ τῶν ποδῶν* 536 ext. *καὶ ἐς τὰ ἄρθρα τῶν χειρῶν καὶ τῶν σκελέων* 572 in. *καὶ τὰ σκέλεα ψυχρὰ εὑρήσεις καὶ τὰ γούνατα καὶ τὰς χεῖρας* 742 in. Eundem usum loquendi secutus est is, qui altera praedicta conscripsit *ἐν τοῖσι ἀκρωτηρίοισι* III 367 *τὰ ἀκρωτήρια* ib. *ἀπὸ τῶν χειρῶν τε καὶ ποδῶν* 371 m. sed idem quartam appellationem praebet *τὰ ἔσχατα* 367 m. [1]) *σκέλεα* ut illis locis pro *πόδες* dictum in quinto libro Epidemiorum reperitur *ἐπάγη τὰ σκέλεα καὶ τὰς χεῖρας*, in septimo libro *ἀκρατέστερος σκελέων καὶ χειρῶν γενόμενος* 649 extr. *ἀκράτεια τῶν σκελέων καὶ τῶν χειρῶν μάλιστα γίγνεται* de int. aff. II 368 in. *ἐπειδὴ δίκαιον ἔχουσι οἱ ἄνθρωποι τὰς χεῖρας καὶ τὰ σκέλεα* de fract. et art. III 66 in. *σκέλεα μὲν καὶ χεῖρες τελειοῦνται* 96 m. *σκελέων τε καὶ χειρῶν ἀκρατέες γίγνονται* 110 m. *σκέλεα καὶ χεῖρες καὶ κεφαλὴ* vect. 177 extr., semel, si recte observavi, iunguntur *καὶ τὰ σκέλεα καὶ οἱ πόδες ἀεὶ ψυχροί* de int. aff. II 380 m. Sed plerique simpliciter *πόδες καὶ χεῖρες* dicere solent: *ὅσοι ἂν — ῥιγώσωσι διαφερόντως πόδας ἢ χεῖρας ἢ*

---

[1]) suum extremae partes in tertio libro de victus ratione *ἀκροκώλια* dicuntur, *ἀκροκωλίοισι τε διεφθοῖσι τοῖσι νέοισι* 476 extr. *καὶ τοῖσι ἀκροκωλίοισι διεφθοῖσι* 481 m. *τοῖσι νέοισι ἀκροκωλίοισι* 484 m.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

κεφαλήν II de art. 37 m. τὰ οὔατα καὶ ἡ γλῶσσα καὶ αἱ χεῖρες καὶ οἱ πόδες de morb. sacr. 73 m. ἀπόπληκτοι μὲν καὶ χεῖρας καὶ πόδας de morb. I 140 in. Nec raro brevissime πόδες et σκέλεα ita ponuntur, ut χεῖρες simul intellegi pateat, velut in septimis Epidemiis πόδες ψυχροί 651 m. 657 m. πόδες θερμοί 652 m. σκέλεα ὑπόψυχρα 671 extr. Est in his locis, ubi dubites, num ii, quibus vox ἄκρεα frequentata est, aliter atque illi locuturi fuerint: sunt alii, quibus certum est non aliter eos dicere potuisse, velut de nat. puer. οἱ δάκτυλοι τῶν χειρῶν καὶ τῶν ποδῶν II 502 in. χερσί τε καὶ ποσί ἀσκαρίζοντι 516 extr.: sed in universum constat ab aliis frequentari, aliis ignorari hoc vocabulum.

Possem hic finem facere disputandi, nisi verbo certe ad improbum illud ἄκραι χεῖρες καὶ πόδες vel, quod perinde est, ἄκρα χειρῶν καὶ ποδῶν legentium mihi animi convertendi essent. Quaeri potest, quid apud Thucydidem sit κατέσκηπτε γὰρ εἰς αἰδοῖα καὶ ἄκρας χεῖρας καὶ πόδας. Sed ἄκρα χειρῶν καὶ ποδῶν non esse digitos, sed ipsos pedes manusque supra vidimus: aeque abundare adiectivum ἄκραι apud Herodotum I 119 πλὴν κεφαλῆς τε καὶ ἀκρέων (Stein aliquando: ἄκρων v) χειρῶν τε καὶ ποδῶν ex iis apparet, quae subsecuntur παρέφερον — τὴν κεφαλὴν — καὶ τὰς χεῖρας καὶ τὲς πόδας. Difficile est ei, qui in re medica nihil intellegit, medicorum verba percipere: sed vix crediderim eum, qui de affectionibus librum conscripsit, verbis καὶ οἱ πόδες καὶ αἱ χεῖρες ἄκραι ψυχραί II 283 m. quicquam aliud dixisse, quam quod alii dixerunt τὰ ἄκρεα ψυχρά, τὰ ἀκρωτήρια ψυχρά. Sine dubio autem sedulum Herodoti imitatorem Pausaniam IX 4. 1 παρέλκειν voluisse illud ἄκραι amice me monuit R. Foerster addens simul non aliter imas apud Romanos manus pedesque dici.[1])

De his hactenus: nunc aliquantisper ad fabulas devertimus. Maligni aliquando ut sunt vicini Tantalum commenti sunt diis filium membratim discissum apposuisse: ceteros, quid esset rei, cum perspexissent, abstinuisse nefaria dape, Cererem aliquo dolore occupatam glutisse τὴν ὠμοπλάτην, τὸ ἀκρώμιον, ut medici dicunt, vel τὸν ὠλενίτην χόνδρον, ut dixit aliquis poeta, vel τὰ ἔσχατα τῶν ἀκρέων, ut Hippocrates forsitan dicturus fuerit. Vides quorsum haec spectent. In Pindari Ol. I 50

ἔννεπε κρυφᾷ τις αὐτίκα φθονερῶν γειτόνων,
ὕδατος ὅτι σε (Bergk τε v) πυρὶ ζέοισαν ἀμφ' ἀκμάν

[1]) pedes imos et manus habebunt discretas atque seiunctas Pseud.-Apul. in Rosii An. I. 166. 2 imae manus ac pedis quod non uniforme est 163. 6 imae manus ac pedes subtiles et eleganter circumscripti 107. 24 cf. R. Foerst. in Ann. phil. suppl. XV 570. ex Graecis scriptoribus indicavit praeterea Xen. Cyr. VIII. 8. 17 Plat. Prot. 352a. Formulae χεὶρ ἄκρα, πὲς ἄκρος non unam esse vim hic satis habeo monere.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

μαχαίρᾳ τάμον κατὰ μέλη
τραπέζαισί τ' ἀμφὶ ΔΕΥΤΑΤΑΚΡΕΩΝ
σέθεν διεδάσαντο καὶ φάγον

quod extrema carnium, δεύτατα κρέων, ea appellarentur, quae ossium extrema malis appellari, praeter unum illum, qui ut in desperato loco audendum esse aliquid licentius ratus δεύματ' excogitavit, ferendum prope omnes[1]) censuerunt Athenaei, opinor, auctoritate freti, qui lectioni certe traditae patrocinatur XIV 641ᶜ: ὅτι γὰρ ἦσαν καὶ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις αἱ δεύτεραι τράπεζαι πολυτελεῖς μεμεριμνημέναι, παρίστησι Πίνδαρος ἐν Ὀλυμπιονίκαις περὶ τῆς Πέλοπος κρεουργίας διηγούμενος. Sed ecce novae lectionis antiquior quatuor saeculis testis existit illud ipsum quod desideratur δεύτατ' ἀκρέων praebens. An quisquam dubitat, quin Lycophro verbis supra allatis

ἒ πάππον ἐν γαμφαῖσιν Ἐνναία ποτέ 151
Ἔρκυνν' Ἐρινὺς Θερία Ξιφηφόρος
ἄσαρκα μιστύλασα τύμβευσεν φάρῳ,
τὸν ὠλενίτην χόνδρον ἐνδατευμένη

illum Pindari locum imitando expresserit? Aperte poeta grammaticus grammaticos lectores admonet omnibus diis tribuisse Pindarum, quod uni Cereri tribuendum esset, eundemque audaci quadam breviloquentia in unum contraxisse, quae planius dixisset divisim ΑΚΡΕΑ ΔΙΕΔΑΣΑΝΤΟ | ἄσαρκα μιστύλασα. ΚΑΙ ΦΑΓΟΝ | τύμβευσεν φάρῳ. ΤΑ ΕΣΧΑΤΑ | τὸν ὠλενίτην χόνδρον ⟨ἐνδατευμένη⟩. Advertit nos supra vitantem illud ἄκρεα Lycophronem, cum mirum illud ἄσαρκα eius loco poneret, glossographum quodammodo egisse: patetne cur egerit?

Non minimus studiorum, quae in Alexandrinorum carminibus collocaveris, prosequitur te fructus is, ut instructior aliquanto ad antiquos illos poetas legendos redeas. Fit interim, ut reperta reperias, ut multi laboris praemium cassa nux sit: qui sapit, non sine fructu videt, quam facile prae speciosis recti memoria obliteretur, quam mature vera adulterentur socordia et temeritate. Quem non iuvat Lessingi acumen in Laocoontis sect. XXII Ulixi speciem ex Iliadis versibus

στάντων μὲν Μενέλαος ἐπείρεχεν εὐρέας ὤμους,
ἄμφω δ' ἑζομένω γεραρώτερος ἦεν Ὀδυσσεύς

velut excitantis? Non aliter eum, qui in illo de Aenea vaticinio non laeve Lycophronis artes effinxit, haec verba accepisse apparet e. v. 1244

[1]) δεύματ' Boeckh recepit, qui rectissime monuit I 347: sed quid tum κρεῶν? Pro quo desidero σώματος sive χροὸς, corporis (vel partis corporis) extrema, non carnium.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

σὺν δέ σφι μίξει φίλιον ἐχθρὸς ὢν στρατὸν
ὅρκοις κρατήσας καὶ λιταῖς γενασμάτων
νάνος, πλάναισι πάντ' ἐρευνήσας μυχὸν
ἁλός τε καὶ γῆς.

Nam quod s venditat: ὁ Ὀδυσσεὺς παρὰ Τυρσηνοῖς νάνος καλεῖται δηλοῦντος τοῦ ὀνόματος τὸν πλανήτην et Tzetza his auctius: ἐγὼ δὲ εὗρον, ὅτι ὁ Ὀδυσσεὺς πρότερον Νᾶνος ἐκαλεῖτο, ὕστερον δὲ ἐκλήθη Ὀδυσσεύς, desperantis est commentum. νάνον iidem, credo, τὸν πλανήτην dicebant, qui deos ὦ πόποι invocabant. Nanus autem nomen regis est Gallorum Ath. XIII 576ᵃ Just. XLIII 3. 9, Nanas quintus a Pelasgo Pelasgorum rex, qui Etruriam incolebant, a Dion. Hal. I 28 perhibetur: sed Nanus ille Ulixes nihil est hominis, quamquam fidem sui fecit Odofredo Muell. Etr. I 87 ed. Deeck. Schwegl. Hist. Rom. I 405.[1]) Cur nanus Ulixes appellatus sit, protinus ei, qui illos

[1]) In nominibus propriis incredibile est dictu, quid designarint scholiastae. Eodem quo Nanus ille ablegandus est Neptunus Melanthus et Equester, cuius in v. 766 Lycophro meminisse putatur

ἔπω μάλ', ἔπω — μὴ τοσόσδ' ὕπνος λάβοι
λήθης Μέλανθον ἀγκλιθένθ' ἱππηγέτην.

Μέλανθος, ait scholiasta, ὁ Ποσειδῶν παρὰ Ἀθηναίοις· Ἱππηγέτης δὲ ὁ αὐτὸς παρὰ Δηλίοις. μὴ τοσαύτη γὲν λήθη, φησί, καταλάβῃ τὸν Ποσειδῶνα, ὥστε ἐπιλαθέσθαι τοῦ Ὀδυσσέως. Neque ad sensum aliter paraphrastae. Tu cave quicquam eis credas: Lycophro de Neptuno ne cogitavit quidem. Ulixes est ille Melanthus, cui Minerva ἕλας ἧκε κόμας ΥΑΚΙΝΘΙΝΩΙ ΑΝΘΕΙ ἑμοίας ζ 231 cf. Mus. Rh. XXXIV 463, ἱππηγέτην autem eum vocavit uno verbo comprehendens, quae duobus versibus effatus erat Homerus θ 494 ΙΠΠΟΥ κόσμον ἄεισον, ὅν ποτ' ἐς ἀκρόπολιν δόλον ΗΓΑΓΕ δῖος Ὀδυσσεύς. Indidem reliquis lucem inferimus: veternus enim, qui ne incesset Ulixem fatidica virgo precatur, est somnus ille νήγρετος ἥδιστος, θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς ν 80, quo resolutus νηὸς ἐπ' ἰκριόφιν γλαφυρῆς — πρυμνῆς ex aerumnis et laboribus requievit, eaque puppis ipsa voce ἀγκλιθένθ' — hoc enim Lycophronis est, ἐγκλιθένθ' scribarum — significatur. Nam ἵνα κατακλίνεται ὁ κυβερνήτης, ἄγκλιμα καλεῖται Poll. I 50 cf. Hes. ἀνακλίσις· τόπος τις ἐν τῇ νηί. Nullo negotio cumulare huius rei exempla licet: subiciam unum, quo, quam facile laqueis huius grammatici irretiamur, egregie illustratur. Quicunque de duobus illis anguibus agit, qui Laocoontem petebant, inter testimonia Lycophronis vv. 346 et 347 afferre non omittit

τοῖς εἰς στενὴν Λεύκοφρυν ἐκπεπλωκόσι
καὶ παιδοβρῶτος Πορκέως νήσους διπλᾶς.

Adeo omnibus scholiastae auctoritas imposuit tam fortiter Porcen et Chariboeam hic intellegi iubentis, quasi nulla de ea re quaestio oriri posset. At Porces cum Chariboea non magis huc pertinent quam illuc Neptunus Atheniensium aut Nanus Tuscorum. Breviabo rem ut potero. Tenedii et Calydnarum incolae (καὶ αὐτὴν δὲ τὴν Τένεδον Κάλυδνάν τινες εἶπον Strab. XIII 604) in humanis sacrificiis bacchati videntur:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

versus Iliadis tenet, apparet, modo meminerit eorum, quae Aristoteles de part. an. IV 10 scripsit: *πάντα γάρ ἐστι τὰ ζῷα νανώδη τἆλλα παρὰ τὸν ἄνθρωπον· νανῶδες γάρ ἐστιν, ᾗ τὸ μὲν ἄνω μέγα, τὸ δὲ φέρον τὸ βάρος καὶ πεζεῖον μικρόν — τοῖς μὲν ἐν ἀνθρώποις τοῦτο πρὸς τὸ κάτω σύμμετρον καὶ πολλῷ ἔλαττόν ἐστι τελειωμένοις· νέοις δ' ἐσι τἐναντίον τὰ μὲν ἄνω μεγάλα, τὸ δὲ κάτω μικρόν — νάνοι γάρ εἰσι τὰ παιδία πάντα.*

Ut hic plaudimus vafro Homeri interpreti, sic alii loci sunt, quibus cum simplicitatem eius non assequeretur, ad ineptias delapsus est. Ulixes fluctuum impetu e rate eiectus ne sic quidem

σχεδίης ἐπελάθετο τειρόμενός περ,
ἀλλὰ μεθορμηθεὶς ἐνὶ κύμασιν ἔλλαβεν αὐτήν ε 325.

At diligenter perpendas rem: nonne ab omni verisimilitudine abhorrere videtur posse quemquam in turbidum mare abreptum ratem recipere nando? Succurrendum igitur laboranti poetae, adstruendum nostro ingenio, quod brevitatem aemulatus orationi ille subtraxerit:

ἧς (σχεδίας) οἷα τυτθὸν Ἀμφίβαιος (Neptunus) *ἐκβράσας* 749
τῆς κηρύλε δάμαρτα ἀπτῆνα σπόρον
αὐταῖς μεσόδμαις καὶ σὺν ἰκρίοις[1]) *βαλεῖ*
πρὸς κῦμα δύπτην — ἐμπέπλεγμένον κάλοις.

At vero noli in unum Lycophronem convertere quod totius aetatis erat; Alexandrinorum enim neminem ab eiusmodi ineptiis cavisse nec potuisse cavere eleganti dis-

---

Libero aliquando homines immolatos esse Tenedi Ael. H. A. XII 34 tradit cf. Ung. Theb. 420, Palaemoni a Tenediis infantes mactatos esse auctor ipse Lycophro est 229 *καὶ δὴ Παλαίμων δέρκεται βρεφοκτόνος* cf. schol. idemque testimonio est Calydnis Thetidi virgines esse caesas 22 *αἱ δὲ παρθενοκτόνον Θέτιν ἰκλόπεζοι θεῖνον εὐῶπες σπάθαις — ὑπὲρ Καλυδνῶν λευκὰ φαίνεσαι πτιλά* cf. P *ὅτι παρθένοι αὐτῇ θύονται.* schol. N 33. Porceus autem, sive idem est apud Lycophronem atque Palaemo sive alius deus marinus, alius certe non est ac Porcus ille, quem apud Alcmanem eundem cum Nereo esse Hesychius testatur *Νηρεύς· θαλάσσιος δαίμων. Ἀλκμὰν καὶ Πόρκον ὀνομάζει.* cf. Schneid. Call. II 422. Nihil igitur est, quod sumamus insulse a Lycophrone unum nomen esse positum, ubi duo erant afferenda, illudque nomen misere similitudine simplicium vocum, quae in -ης desinunt, excidisse, sed vertenda sunt illa verba 'et duplas insulas Piscatoris, qui caesis infantibus gaudet'. *παιδοβρῶς Πορκεύς* enim non aliter dictum est ac Liber *ταυροφάγος* Soph. fr. 594 Juppiter *αἰγοφάγος* Nic. fr. 99 cf. Gaisf. Et. M. 27. 51 Juno *αἰγοφάγος* Paus. III 4. 1 *κριοφάγος* deus aliquis Hes. Scylla *ταυρο-σ-φάγος* Lyc. 44 Hecate *κυνο-σ-φάγος* id. 77. cf. Lob. Ell. I 311 Et. M. 747. 48 c. not. edd.

[1]) Noli hinc colligere divisim eum legisse ε 318 *τηλῆ δὲ σπεῖρον καὶ ἐπ' ἴκριον ἔμπεσε πόντῳ.* Respexit hoc versu ad ε 252. 253.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

putatione Cobet Misc. 243 ss inserta docuit. Sed alia commisit in componendo carmine multoque his graviora, quae nullo modo excusari possint. Demonstravi in Mus. Rh. XXXIV 452 not. 4 miro modo eum in vv. 1027 ss duas illas Melitas, quarum altera ad Corcyram, altera contra Siciliam sita est, in unam confudisse. Non levius deliquit in vv. 108 ss. Lacedaemone navigantem Troiam ea erant ex antiquissimis temporibus itinera, ut aut a Gytheo Cytheram, Cythera Aegiliam, Aegilia Cretam, hinc longo cursu Asiae oram peteret[1]) aut septentriones versus Geraestum, hinc per Cycladas veheretur.[2]) Inde vetus apud antiquos dissensio, utra via Paris Helenam secum ducens usus esset. Nam eos, qui Cranaen insulam, in qua Paris cum Helena concubuisse ferebatur *Γ* 445 scholl., eandem atque Helenam insulam contra Atticam sitam[3]) sumebant esse, verisimillimum est per Cycladas iter ab eo factum existimasse. Hinc tertio die ut Milesius ille pirata, qui victoriam ad Aegos flumen reportatam Lacedaemonem nuntiavit Xen. Hell. II 1. 30, secundo vento, mari tranquillo Troiam pervenisse dicebatur.[4]) Eos contra, qui Aegyptum — nam de Sidone dubitatur[5]) — ablatum eum esse finxerunt, certum est sumpsisse Cretam eum tenuisse indeque Carpathium mare pervehentem vi tempestatis in Africam delatum esse. Recte autem hi Cranaen parvam illam insulam ad Gytheum sitam esse intellexerunt.[6]) Jam quid Lycophro? Cum dicit v. 110

θρέξεις ὑπὲρ Σκάνδειαν Αἰγίλε τ' ἄκραν,

tabulam illam alteram, qua iter ab Peloponneso in Asiam describitur, ante oculos habuisse videtur. Nam *Σκάνδειαν* emporium esse Cytherae Pausanias III 23. 1 testatur, Aegili autem scopulum non esse tribum illam Atticam, de qua Philemo apud Ath. XIV 652 *Αἴγιλα δ' εἶναι δῆμον τῆς Αττικῆς ἀπὸ Αἰγίλε τινὸς ὠνομασμένον*, sed Aegiliam insulam Cytheram inter et Cretam sitam inde apparet, quod cum Scandea arte coniunctum est. Accedit quod in Aegyptum Paridem devectum esse ipse v. 115 ss dicit. Sed eundem cum ad Helenam insulam facit appelli v. 110

---

[1]) Diaphr. pr. ap. Muell. GGM I 95 cf. Hom. *γ* 169.

[2]) Diaphr. alt. ib. 96.

[3]) Steph. *Κρανάη · — ἔτως ἐκαλεῖτο καὶ ἡ Αττικὴ ἀπὸ Κραναῦ · ἐξειλήφασι γάρ τινες ἔτω τὸ Ὁμηρικὸν τὸ Κρανάῃ ἀντὶ τῆ Ἀτθίδι.* cf. Holst. et Pin. ib.

[4]) Her. II 116. v. Hoff. comm. de myth. Hel. Eur. Lugd. Bat. 1843 p. 6 ss. quarto die Diomedes Argos venit *γ* 181.

[5]) Welck. Ep. Cycl. II 94.

[6]) Curt. Pel. II 331. Welck. Ep. Cycl. II 129.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

νήσῳ δ' ἐνὶ δράκοντος ἐκχέας πόθον
Ἀκτῆς, —

ineptissime illa itinera in unum confudit. At lenius cum eo agendum dixeris: etiam alios similia commisisse, ut prope poetarum sit geographicas res nescire. Sit ita: quis vero excusat, quod vv. 183 ss argumentum alicuius fabulae, ut videtur, ita inseruit, ut aperte pugnarent cum iis, quae postea vaticinatur Alexandra? Nam in v. 200 Achilles, dum ceteri Graeci Troiam oppugnant, quinque annos Iphigeniam investigans Scythiae oram pervagatus dicitur: cuius quinquennii oblitus Telephi mortem v. 206 significat, Tennae et Cycni interitum describit vv. 232 ss, Achillem ultimum Achivorum in litus egredientem vv. 245. 279 castigat.

In eiusmodi vitia facillime scriptorem, qui circa singula laboraret, incurrisse apertum est. Poeta Lycophro paucos habuit fautores: grammatico Lycophroni philologi, qui quidem Alexandram excusserint, gratias habere non desinent. Prope nulla pars est graecarum litterarum, in quam ex illo carmine non aliquid commodi redundet. An poetam ad orthographicas quaestiones posse quicquam conferre credideris? Ita tamen est. Paene nulla vox graeca tam inconstanti scriptura est quam ἀ'λίπεδον. Me, ut in Al. 681

ἥξει δ' ἐρεμνὸν εἰς ἀλήπεδον φθιτῶν

a recepta inter editores scriptura recederem, non solum optimorum codicum auctoritas, sed ipse Lycophro movit, quem suo more hic ludentem mihi deprehendisse videbar. Nemo enim Lycophrone frequentius inter Alexandrinos illo lusu usus est, quo παρετυμολογοῦντες [1]) ancipitem quandam notionem alicui voce induerunt. Jam quid habebat, quod in ἀλήπεδον, non in πέδον φθιτῶν intrasse Ulixem diceret? Scilicet ad fauces Orci constitit, in eo campo, ubi inhumata turba oberrabat, animas ad se procedentes manens. Est igitur illud ἀλήπεδον ἀλήιον quoddam πέδον, in quo umbrae misere ἀλῶνται (Z 201). cf. Ψ 472

τῆλέ με εἴργεσι ψυχαί, εἴδωλα καμόντων,
οὐδέ μέ πω μίσγεσθαι ὑπὲρ ποταμοῖο ἐῶσιν,
ἀλλ' αὔτως ΑΛΑΛΗΜΑΙ ἀν' εὐρυπυλὲς Ἄιδος δῶ.

Haec si recte disputata sunt, vetus illa controversia de scriptura huius vocis hoc loco dirimitur. Nec tamen is unicus eius usus est. Ea enim huius vocis vis est, ut volgaris notio quasi in superficie, altera in recessu sit. Atqui cum ἀλήπεδον

[1]) cf. quae disputavi in progr. Rendsb. 1866 p. 19.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

campus arenosus esse videatur,[1]) Lycophronem, ut hac voce uteretur, nescio an versus ille, quem alium in usum supra attulimus, moverit —

ἔνθ' ἄκτη τε λαχεῖα καὶ ἄλσεα Περσεφονείης.

Nam *λαχεῖα* a scholiastis et Hesychio explicatur *εὔσκαφος*, *εὔγειος*. Magnum hoc esse dicis, modo constet, quo exemplo usus sit. Minime bono, minime emendato. Adscripsit versui *δ* 511

ὣς ὁ μὲν ἔνθ' ἀπόλωλεν, ἐπεὶ πίεν ἁλμυρὸν ὕδωρ

Didymus: *ἐν ἐδεμιᾷ ἐφέρετο.* cf. Ludw. Did. I 546. Jam inspice Al. vv. 390. 391

Γυραῖσι δ' ἐν πέιραισι τερσαίνων πτερὰ
στάζοντα πόντε δευτέραν ἅλμην σπάσει.

An hoc ipso liber eius commendatur? Fuit, qui crederet. Nunc vale.

---

[1]) Bek. An. 208. 17. Thes. I 1479 e. Illud *ἀλη-* eiusdem stirpis videtur esse atque *ἀλέα* Et. M. 58. 25 *ἀλέα — πάντα τόπον θέρμην ἔχοντα* et *ἀλαιθερές* Hes. Et. M. 58. 1 et *θ' εἰλόπεθον η* 123, fortasse *Ἠλύσιον*.

Corrigas

1. 19 *ἀσχαδὴς*: *ασχαδῆ*.
8. 4 *κρέων*: *κρεῶν*.
8. 20 *ΤΑ ΕΣΧΑΤΑ*: *ΔΕΥΤΑΤΑ*.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

campus aren , ut hac voce uteretur, nescio an
versus ille, , moverit —
Περσεφονείης.

Nam λαχεῖα εὔσκαφος, εὔγειος. Magnum hoc esse
dicis, modo c bono, minime emendato. Adscripsit
versui δ 511

ν ἁλμυρὸν ὕδωρ
Didymus: ἐν 46. Jam inspice Al. vv. 390. 391
ίνων πτερὰ
μην σπάσει.
An 'uit, qui crederet. Nunc vale.

---

[1]) Bek. dem stirpis videtur esse atque ἀλέα Et. M.
58. 25 ἀλέα — θερές Hes. Et. M. 58. 1 et θ' εἰλόπεθον
η 123, fortasse

VTATA.

© The Tiffen Company, 2007
TIFFEN Gray Scale
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19
R G B W G K C Y M

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf